

Johannes Caselius Immanuel Gottlieb Huschke

**Nuptiale Sacrum Friderici Ludovici Principis Illustrissimi Magni Ducatus
Megapolitano-Suerinensis Nascendi Iure Heredis Et Augustae Fridericae
Principis Hasso-Homburgensis Bonis Votis Prosequitur Academia Rostochiensis
: Adjunctum Est Ioannis Caselii Prooemium In Civilis Doctrinae, Prout Ab
Aristotele Tradita Est, Paraphrasin Quae Servatur In Bibliotheca Academica**

Rostochii: Ex Officina Adleriana, MDCCCXVIII.

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1820077543>

Druck Freier  Zugang



CASELII,
prooemium
in
Aristotelis
doctrin.
civilem.


Bibliothecae ac
demiae Rostochiensis d. C. Hufda

s philol. 60.

Mss. philol. 60.^a



NUPTIALE SACRUM
FRIDERICI LUDOVICI
PRINCIPIS ILLUSTRISSIMI
MAGNI DUCATUS MEGAPOLITANO - SUERINENSIS
NASCENDI IURE HEREDIS
ET
AUGUSTAE FRIDERICAE
PRINCIPIS HASSO - HOMBURGENSIS
BONIS VOTIS PROSEQUITUR




ACADEMIA ROSTOCHIENSIS.
.....
ADIUNCTUM EST
IOANNIS CASELII
PROOEMIUM IN CIVILIS DOCTRINAES, PROUT AB ARISTOTELE
TRADITA EST, PARAPHRASIN
QUAE SERVATUR IN BIBLIOTHECA ACADEMIAE.

ROSTOCHII
EX OFFICINA ADLERIANA
MDCCXVIII.



εὐ μὲν γὰρ τοῦτον κρεῖσσον καὶ ἄρετον,
ἢ ὅδ' ὁμοφρονέοντε νοήμασιν οἷκον ἔχοτεν
ἀνὴρ ἡδὲ γυνή πόλλ' ἀλγεα δυσμενέεσσι,
χάρηματα δ' εὐμενέτυτι· μάλιστα δέ τ' ἔκλινον αὗτοι.

HOMERUS.



—
In hac rerum humanarum vicissitudine et inconstantia, qua
perpetuo eas agitari videmus, nihil magis consentaneum
esse potest, quam, si quid optantibus vel nobis vel aliis,
quibus maxime cupimus, bene ceciderit, implorare Deum
immortalem, ut id constans et, quoad eius fieri possit,
perenne esse iubeat. Hoc hodie enixo studio faciendum
sibi censet cum universa Civitate Academia, quando illatae *Br. p. 107. 129.*
nuper domo FRIDERICI LUDOVICI, ad omnia summa nati
Principis, calamitati succedere videt pristinam fortunae
serenitatem. Ecquis enim hodie non redeat in memoriam

1*

220

temporis illius, quo acerbissimo nobis fato erceptam
 deflevimus Principem Egregiam, quam paucis annis ante
 solemni consalutatione exceperat, veteri luctu vix deposito,
 gratulabunda Patria? Adeo verum est, quod a philosopho *Seneca Ep. 23.*
 pronunciatum legimus, Gaudium esse rem severam. Sed
 ne verbis male ominatis interpellare videamur festi huius
 diei celebritatem, agite, missis, quae mutari nequeunt,
 gratulemur potius FRIDERICO LUDOVICO de restituta divinitus
 felicitate domestica per AUGUSTAM FRIDERICAM, Celsissimam
 Principem, et nuptiale hoc sacrum votis omnibusque optimis
 prosequamur. Quid enim coniunctus sit pietati, qua ve-
 neramus FRIDERICUM FRANCISCUM, Munificentissimum huius
 Academiae Patronum, quam nuncupare vota pro incolumente
 Filii Heredis, cui quantae curae sit, quicquid ad rem
 academicam et humanitatis litteras pertinet, nemo nostrum
 non, qui tot benevolentiae vinculis obstricti tenemur, cogni-
 tum perspectumque habet! Quo magis velle debemus, ut
 Princeps Illustrissimus ex auspicatissimis his nuptiis fructum

capiat exoptatissimum, utque ei contingat cum AUGUSTA
FRIDERICA, omnium virtutum laude ornatissima Principe,
per longam annorum seriem frui bonis omnibus, quibus
impertiri vita humana potest. Hanc spem nostram ita ratam
habeat Deus, ut benignitate simul sua complectatur Patrem
Patriae Optimum, totamque Domum Principalem rebus
secundis omnibus florentissimam servet; quod communis
salutis caussa etiam atque etiam precamur.

Caeterum quum more receptum sit academico, solem-
nium votorum nuncupationi adhibere materiae cuiusdam
doctae explicationem, dabimus hoc nomini Ioannis Caselii,
ut edendo libello quodam eius, qui nobis quidem adhuc in
tenebris latuisse videtur, celebremus nuptialem diem Prin-
cipis, cuius ille Maiorum, *Ioannis* in primis *Alberti*, propter
singularem ingenii excellentiam, in tutela fuit et clientela.
Huius viri multa, epistolici praesertim generis, scripta
etiamnunc latent in Bibliothecis, digna procul dubio, quae

in lucem proferantur, quandoquidem ea, quae in vulgus emanarunt, bona frugis plenissima sunt. De his ut temporum illorum aequales viri docti, Petrus Victorius, Iosephus Scaliger, alii magnifice sentiebant, ita nec contemptim modestus caeteroquin auctor ipse, scribens ad Eberhardum, Praesulem Lubecensem Epist. XXI. ed. Helmst. a. 1619.

„Ego autem praeterea virtutes tuas, quarum dux est liberalitas, sine adulazione praedicabo, neque, quod in me est, patiar te carere, etiam ad posteritatem, debitibus laudibus. Non enim arbitror, tam vilia esse ingenii mei monumenta (*etsi potest fieri, ut sumus quisque nostri immodice amantes, ut magnopere fallar*) quae sepeliantur ante, quam ipse diem obeam: sed sperabo, quod optimis contingit, exoritura illa magis, ubi ipse occidero.“

Quod augurium fefellisse videtur virum praestantissimum. Raro enim scripta eius hodie leguntur, raro etiam legendi facultas cupientibus datur, si quidem ex usu et oculis hominum evanuerunt. Ne nostrae quidem Bibliothecae omnia insunt ingenii Caseliani monumenta; in iis tamen, quae insunt,

duo reperiuntur Volumina manu scripta, consecrata ab auctore
Patrono suo his verbis: *Haec ingenii laborumque suorum
exempla illustrissimo principi, Ioanni Alberto, Duci Megapo-
lensi &c. domino et Εὐεργέτῃ S. clementissimo offert inspicienda
et iudicanda Ἰωάννῳ Καστρίλιῳ.* Cal. Septemb. MDLXIV. His
duobus voluminibus varia continentur minoris moduli scripta,
quae nunc in transcursu breviter recensebimus.

I. *Λόγος εἰς φιλοσοφίαν.* Haec est Caselii Oratio inaugu-
ralis, publice habita, quum philosophiae et eloquentiae munus
in hac Academia auspicaretur a. 1563. Falluntur enim littera-
tores nostri, qui inauguralem esse putant alteram orationem
Pro studiis bonarum litterarum a. 1577. Illa nunquam edita vi-
detur. Qua de re ut existimare possint viri docti, age, descri-
bamus ipsum orationis initium: „Deliberanti mihi superiori-
bus diebus, ut par fuit, apud animum meum, de officio, quo
hic functurus essem; rationesque omnes, quas possem, accu-
rate mecum perquirenti, de hoc interpretationum mearum exor-
dio, quod ab oratione proficiisci oporteret; cum nonnulla alia,
ex quibus me haud facile expedirem, in mentem venerunt,
tum altera cogitatio, eaque longe gravissima, quae me hoc

ipso etiam tempore urgeret plurimum, quid primum dicere inciperem.“

2. Περὶ τῆς ῥωμαϊκῆς γλώσσης πρὸς τοὺς νέους. *Latinæ Linguæ studiosis adolescentibus S.* Exstat haec commentatio, nescio an edita primum in Th. Crenii opere, quod inscribitur, *Consilia et Methodi aureæ studiorum optime instituendorum P. I. p. 150.*

3. Τὰ περὶ τῆς αὐδῆσεως ἐκ τοῦ Ἀριστοτέλους Ἡθικῶν ῥωμαϊστὶ παραφρασθέντα. Locus Aristotelis ex III. Ethicorum, *De Fortitudine*, Latina paraphrasi explicatus. Incipit ita: Cum superiore libro de mediocritatibus disputaremus, doceremusque virtutem in ipsa mediocritate consistere: cum infinitis aliis exemplis usi fuimus, tum etiam Fortitudinem, de qua nunc uberiorius perfectiusque agemus, mediocritatem esse diximus.

4. *Paraphrasis I. Rheticorum Aristotelis.* Initium hoc est: Ars dicendi quae Graecis Rhetorice nominatur, rationi disserendi et disputandi, quae illis dialectice est, respondet, et perinde paene una se habet ut altera.

5. *Interpretatio*, vel potius, *Paraphrasis secundi Rhe-*

toricorum Aristotelis. Adscripsit auctor: *Haec pars expressa est de commentariis P. Victorii.*

Iam his minoribus libellis adiunctum est unum maioris contentionis ac laboris opus, *Paraphrasis latina Ethicorum Aristotelis ad Nicomachum*, non quidem integra — nam tres tantum priores libri adhuc reperti sunt — sed ingeniose scripta et commentarii loco habenda. Hoc interpretandi negotium Caselio mandaverat *Ioachimus Fridericus*, Marchio Brandenburgensis, ad quem scribit Ep. XLI. ed. Vaget. „Reliquum erat, ut tecum vel de virtute vel de republica philosopharer. *Id facio eo libro, quem ex Aristotelis Ethicis primum ad te integrum explicatum mitto:* explicatum autem sic, ut, quae tui ingenii est eximia vis, intellectum ipsum a te iri confidam, nisi ubi ego ipse non potui omnia assequi; fateor autem haec esse pleraque non admodum levia, et fieri posse, ut quaedam te adhuc fugiant. Eiusmodi si qua erunt, relecta a te in posterum intelligentur et (quod vehementer optamus, certe speramus, plurimumque gaudemus) a te praestabuntur omnia, quando ad clavum vel tui regni, vel ipsius etiam terrarum orbis imperii enectus cives tuos et universos mortales ea

beata vita, quae in nos, dum in humanis sumus, cadere potest, cumulabis.“ Secundum librum, superiore et brevior rem aliquanto, et, quod ipse ait, ut intellectu, sic interpretatione faciliorem inchoasse se scribit Ep. XL. ad Thomam Hubnerum. Tertii, quod sciamus, nusquam mentionem fecit. Nec ullum adhuc editionis vestigium se nobis obtulit apud rei litterariae scriptores. Quare operaे pretium nos facturos putavimus, si Prooemium hac occasione exhiberemus.

IOANNIS CASELII

PROOEMIUM IN CIVILIS DOCTRINAE, PROUT AB ARISTOTELE
TRADITA EST, PARAPHRASIN.

AD ILLUSTRISSIMUM

HEROICAEQUE SPEI PRINCIPEM

IOACHIMUM FRIDERICUM

MARCHIONEM BRANDENBURGENSEM &c.

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARIES
UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY
UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

An vero divina indole et adolescente principe quidquam dignius sit, quam ut bonum a malo, aequum ab iniquo, iustum ab iniusto, utile ab inutili, non vulgariter nec opinando, sed singulariter perfecteque et omnia intelligendo, discat discernere? Hac disciplina regia instructus adolescens, non solum summis virtutibus illustris et aeternis laudibus clarus vir evadet: sed velut numen inter mortales erit, qui post Deum maximis beneficiis, non unum atque alterum hominem, sed totas gentes afficiat, quoniam non tantum possit ob potentiam, quod pauci possunt et in paucis volunt paucissimi: sed et velit; in qua voluntate, ad divinam proxime accedente, profecto vel universum vel plurimum positum est. Neque vero cum possit, tantum velit: sed et consiliorum dives thesauris, sciat bene mereri de mortalibus; et nos beata vita, quoad haec in nostrum genus in hoc terrarum orbe cadit, divinitus cumulet. Litteris

vero hisce qui a pueris non imbuti sunt principes, ut
sint potentissimi et ut optime populis velint: tamen regia
prudentia aut destituti aut non perfecti, vel nihil praestare,
vel certe non multum queunt. Hi ipsi ut in illaudatis non
sunt; sic alii extremae turpitudinis flagitiique omnium summi
notam non effugiunt; qui, potentes cum sint, et sapientiam,
quae consilia patefacit, despiciunt, et vel nolunt mortalibus
adjumento et solatio esse, vel eos egestate, fame, igni,
ferro, quibuscunque aliis modis violant. Verum tu, divine
adolescens, cum toto animo ab clementiae et bonitati con-
trariis abhorreas; cum toto animo, et hoc ipso maiore,
quam aetas tua videatur ferre posse, ad commoda tuorum
beatamque vitam tuis donandam feraris; cupiasque te ipsum
summis virtutibus et consiliis instruere, quibus non tuos
populos tantum, sed et, si contingat, sique Deus annuat,
totius mundi orbem sustineas: non tantum amorem omnium,
quem certe apud bonos consecutus iam es, sed et studia,
si qua hoc plus quam regium institutum admirari, celebrare,
confirmare, adiuvare et perficere possint, mereris item
omnium. Ego vero etiam, Ioachime Friderice, cum cupi-
ditate vehementi, quam tua prudentiam singularem, item
que Hubneri doctrinam eximiam redolens oratio in me accen-
disset, te simul adiuvandi (in quo utinam nihil peccem, ut
me nihil peccare arbitror) flagrarem; nec tamen is essem,

qui etsi nullam vitae meae horam a litteris vacuam praetermissem, monitis te praeceptisque augere aut possem aut auderem: impetravi ab Aristotele, qui Philippi Macedonii regis filium Alexandrum docuit, Magnumque et totius mundi caput fecit; ut te iisdem per me praeceptis erudire velle cooperit; nec dubitarit ingenium tuum: maxima*e*s sapientiae capienda par esse, humanaeque sortis modum excessurum, si ipsi operas meas satis egregie praestaturus essem. Verum de me nihil polliceri possum, quam intentum me omnes ingenii nervos, si Aristoteli te ad summum imperii fastigium edocturo, tibique ad facta divina iter matranti, quodam modo possim satisfacere. Itaque XX illos libros, quos de vita moribus et consiliis hominum, deque moderanda republica philosophus scripsit, interpretari, et interpretando explicare, ut legi a te intelligique possint, coepi, viresque meas experiri volui universas: etsi aureum illius orationis flumen oratione mea minime me exaurire posse, non sum nescius. Coepi tamen; et tum me quidam egrégium ultra ingenii mei aciem praestitisse arbitrabor: si et tibi hoc officium meum, quod spero, vel potius scio, probabo; et tu doctrinis Aristotelicis illustrior omnibus rebus optimis de die in diem, deque uno anno in alterum evades; de quo quidem mihi dubitare in mentem non venit. Ceterum priores X libri hodie Ethica: reliqui decem, quo-

rum postremi duo iniuria barbarorum temporum perierunt, Politica nominantur et quidem illi priore loco discendi sunt, qui ex puerō ingenii acie non destituto virum bonum atque prudentem in vita sua atque moribus suis faciunt, qui hominem omni virtutis splendore et laude absolutum praestant. Hoc vero caput est omnium, ut quisque se ipse recte in animo, in vita moribusque, in sermone gubernet: et satius est sequentia maioremque sapientiam ignorare penitus, trunque similem esse: quam scire, et rerum bonarum malorumque discrimina in sui, in propinquorum, in patriae, in gentis humanae perniciem et cladem convertere. Homo namque ut omnium animantium, si omni cura ab omni parte consummetur atque plenissime perficiatur, praestantissimum est: sic idem, si a lege, iusto et aequo et civili virtute absit et abhorreat, omnium est deterrium et pestilentissimum. Armis enim instructa iniusticia acerrima et extrema est. Homo autem, ut intelligentia, prudentia, consilioque et facultate res maximas difficilimasque aggrediendi perficiendique instrui possit (quarum utraque in rebus contrariis utiliter maxime) in hanc lucem editur. Quare virtute illa, rectaque ratione virtutis rectrice destitutum hoc animal, ut dictum est, quam longissime ab omni sanctitate recedit, et immanissimarum belluarum feritatem infinito intervallo exsurperat. Ad illa igitur, quae de tyrannis paullo superius attigi-

mus; nostra haec redit oratio. Hi enim cum omnia ad quidvis sine periculo et metu agendum habeant, pro animi sui crudelitate administrant omnia, atque haec tyrannis tanto gravior est, tantoque plus impietatis in se complexa est, quanto potentibus plus spiritus plusque vivaे indolis ingeneratur; et quanto cum spiritus ille magis magisque ad scele-
rata facinora et a se ipso et ab adulatoribus aliisque nefariis nebulonibus inflatur, tum illa indoles citius non tantum omnes dolos capit, sed et novos exquisitosque facilime repe-
rit; quanto item plures vel opum vel honorum cupidinibus inflammati, malisque artibus conferti ad tales dominos gre-
gatim advolant, ignemque crudelitatis fomentis fraudum et ventis adulationum alunt atque incendunt. Nihil profecto tali hominum peste dici possit aut sceleratus aut inferius: ut vicissim patre patriae nihil neque divinus neque sublimius. Verum huc ego his verbis spectavi, ut tibi constaret, opor-
tere principem adolescentem, haec quae nunc aggredimur, uberrime doceri: ut si esset ferociore animo natus, aliquan-
tulum cum sua tum hominum caussa emendaretur, et man-
suesceret; si mediocri, ad virtutem duceretur benefi-
centiamque mediocrem; si excellenti animo atque indole,
(tibi autem utrumque abunde est) ut animus ille magis ma-
gisque se ipse superare eniteretur, et ad bona praestandum
eximia perpetuo studio ferretur, atque illa indoles divina

divinis hisce doctrinis vel confirmata vel exulta perpetuam
 segetem haberet illius animi eximii mortalibus probandi,
 suumque nomen immortalitati consecrandi. His porro dictis
 atque intellectis, quando animadverto, flagitare te, quid hi
 X. de vita moribusque hominum libri singuli tibi polliceantur,
 ostendere id ipsum conabor, quanquam id non potero recte
 praestare. Ut enim, si tibi thesauros Venetae reipublicae,
 (quae nunc totius orbis terrarum opulentissima est) osten-
 dam; scias quidem ibi multa auri talenta magnamque gem-
 marum vim esse; nec tamen singulos aureos, singulasque
 gemmas oculis intuitus sis, aestimaverisve aut possideas:
 quod quis non velit maxime? sic sive Homericae rhapsodiae,
 sive Aristotelici libri (sunt autem hi duo scriptores
 ingenii thesaurus illo multo preciosior) argumentum audies;
 non repente, neque doctrinas uberrimas, quae in singulis
 paene voculis uberrimae sunt, exhauseris aut animo videris.
 Tamen summa capita perstringam, ut desiderio tuo a me
 mos gestus esse saltem videatur. Cum igitur de vita, de
 moribus, de consiliis hominum, deque regorum administra-
 tione dicturus Aristoteles, atque non civem tantum liberumve
 hominem, sed et politicum regemque informaturus esset:
 putavit sibi metam, ad quam quasi in stadio currens cur-
 suque cum omnibus antiquioribus scriptoribus concertans *),
 proponendam; atque omnium primum de finibus, adeoque

*) Excidisse aliquid satis appareat.

de fine summo quaerendum esse. Fine enim ignorato, non potest non fieri, quin ignorentur reliqua omnia: atque ea, quae ad finem ducentia investigantur, aeternis lateant se sepulta tenebris oportet. Itaque libro primo finem indagat; spectandumque singulis in omnibus rebus hunc docet, ut et singuli homines et respublicae beata vita potiantur fruan turque. Cum vero multae sint de bene beateque vivendi ratione disceptationes atque dubitationes, eas non quidem omnes, sed praecipuas, quaeque praeteriri recte non poterant, excutit: falsas refutat et reiicit: ipsamque vitam beatam constituit cum in reliquis vitae mortalium adminiculis, tum maxime in officio, atque virtutis actionibus: virtutis, inquam, illius, quae non speciem tantum egregiam, aut umbram aliquam refert; sed quae ex puro corde flaganteque amore honesti et humanae gentis commodis emanans, tanta postea emergit, ut ipsa sibi in singulis sola satisfaciat, neque aut opes, aut vitam aut honores, vel sibi praeponi, vel secum comparari patiatur. Proinde reperito iam scopo, quod praecipuum ad vitam beatam facere ostenderat, id ipsum libro secundo tractandum suscepit: et differentiam non solum virtutum constituit: sed et cum quid sint virtutes, ipsaeque, ut sic loquamur, medietates, tum quomodo acquiri possint, ostendit. Libro deinceps tertio actionum humanarum discrimina persequitur: quam

rem aliquanto etiam plenius in rhetorics suis; ut infra monebimus, tractavit. Erat autem hoc non omittendum, quod in factis virtus consideret. Eodem vero etiam libro de fortitudine, ipsique adversantibus et de viris fortibus: de temperantia et intemperantia, deque cupiditatibus homini num disserit. Quarto porro libro de liberalibus et sordidis; de magnificis et hisce adversantibus; de excelsi atque etiam de deiecti prostrati que animi viris: de recte constituendis honorum gloriaeque desideriis: de moderanda ira, fraenisque iracundiae iniiciendis: de ratione conversandi cum mortalibus non aliena ab humanitate: de veracibus, de mendacibus, simulatoribus, dissimulatoribus et id genus hominibus: de modo in colloquiis servando, eoque humaniti congruo: denique de pudore, prudentibus, impudentibusque docet. Quintus vero de virtutum omnium regina iusticia totus aureus, ceterorumque veluti medulla quaedam est. Ut autem reliquorum argumenta comprehendi vix possunt: ita hic sibi argumentum ipse est. itaque de ipso nihil, praeterquam, quod dixi, dicere audeo. In sexto de quibusdam, quae a nullis in vita versantibus ignorari oportet, disputatur: de recta ratione, de arte, de prudentia, de sapientia, de consilio, de intelligentia, de nonnullis item aliis. Septimo deinde, redintegrato quasi principio, de virtute heroica agitur, de continentia atque incontinentia; sub extremum

quoque de voluptate et dolore, quoniam horum consideratio ad politicum non parum pertinet. Cum de virtutibus esset dictum, neque quidquam de amicitia: nunc ipsam, quae vel virtus vel virtuti res praeter modum propinqua esset, quaque carere mortales nequeant, perquirit, traditque omnia, quid ipsa sit: quae amicitiarum sunt differentiae: qui per se amici sint, quique alia quam vera perfectaque de caussa: quam non possit constare amicitia, quae cum multis contrahitur: et quidem iusto sim futurus prolixior, si omnes octavi libri propositiones, necessarias quidem illas et egregias, sed complures, hic collocem. Quae autem hoc libro de amicis instituerat, ea IX. pertinet. Ultimo profundius de voluptate, quam ante fecerat, docet: redditque postea ad horum librorum principium, et non minus graviter, quam vere disputat de dignitate vitae theoreticae, quae in perpetuis cogitationibus, in inquisitione veri, in voluptate animi ex sapientia derivata tota consumisur: quanquam haec ipsa ad coetuum humanorum cultum, propter excellentiam suam, minus accommodata est. Hinc se convertit ad altiorem, et latius sese, hoc est, non ad privatum tantum, sed ad regna totasque res publicas extendentem doctrinam. Sed de Politicorum librorum summa, deque singulorum argumentis illo loco, si et Deus optimus max. annuet, et tu, adolescens cle-

mentissime, iubebis, dicendum erit. Nunc periculum faciamus, quantum in maximis doctrinis exprimendis valeat ingenium et industria nostra: et Aristotelem, latina lingua prolixius aliquanto, quam Graece loqui consuevit, animos nostros ad virtutem vitamque ad hanc ipsam factis praestandam divinitus informantem audiamus.

Hactenus Ioannes Caselius, qui caetera egregie, interdum paullo negligentius scripsit, sive haec ipsius culpa sit, sive librarii, qui operam ei vicariam in scribendo navavit. Alienam enim manus est, non auctoris. Sed haec alias pluribus. Nunc, ne ἀσύμβολοι discedere velle videamur, extremae huic paginae adscribamus locum Orphei de *Macrobiis*, eumque componamus cum loco Homeri, quem primae paginae adscripsimus, ut alter ex altero emendatior evadat. Nam quod Homerus dicit Od. ζ. 180.

εοὶ δὲ θεοὶ τότε δοῖεν, ὅτα φεσὶ σῆσι μενονᾶς,
ἀνδρα τε καὶ οἶκον, καὶ ὁμοφροσύνην ὄπασιαν
ἐσθλήν· οὐ γὰρ τοῦτον κρείσσον καὶ ἀρεῖον,
ἢ ὁ ὁμοφρονέοντε νοήμασιν — —

haec igitur verba, quibus Ulysses Nausicaae, regis Alcinoi filiae, ipsam matrimonii auspicatissimi imaginem ante oculos ponit, satis demonstrant, quo modo corrigendus sit Orphei personati locus corruptus Argonaut. v. iiiij. qui vulgo ita legitur:

μειλιχίῃ δέ ται αἰεν ἐπ' ὁφρύσι νεῦσε γαλήνη
παίδεσιν ηδὲ τοκευστων, ἐπὶ φεσὶν ἡδὲ νόοιο,
αἰσθμά τε ρέζειν πεπνυμένα τ? ἔχαγορενειν.

Sic Aristides laudat versum non huius auctore sic :

Σὺ γὰρ τοι φεσὶ δῆκε δεῖ γαλκῶτις Ἀθῆνη.
Quem ignoti poetae versum putat Prof. Müller de Homer. Rel. p. 4. Atqui est versus Homeri
Σὺ γὰρ τοι φεσὶ δῆκε δεῖ γαλκῶτις Ἀθῆνη.
Monet Lebeck. de Dialecto Myrtica III. p. 2. Sic Il. α. 55.
Τῷ γαρ τοι φεσὶ δῆκε δεῖ λυκόλευος ἤτεν.
Ubi tricatur Heyn. in Suppl. et Add. p. 672. requirens τοι φεσὶ δῆκε.

Nempe versum III.6. alii aliter a depravatione, quam contraxit,
gravissima liberare conati sunt, sed ita, ut a scopo aberraverint omnes. Nos eum sanitati restituisse nobis videmur lenissimo remedio, quo nihil fere aliud, quam litterae distractae copulantur, resribentes:

*μειλιχίη δέ τοι αἰὲν ἐπ' ὄφεύσι νεῦσε Γαλήνη
παιδεσσιν ἡδὲ τοκεύσιν, Ομοφροσύνη δὲ νόοιο,
αἴσιμά τε ῥέειν, πεπνυμένα τ' ἐξαγορεύειν.*

Catull. Com. Beren. v. 87.
*Sic magis, o nuptiae, semper Concordia votina.
Semper Amor sedes incoleat assiduo.*

Quam emendationem, nemo facile reperietur, qui vel temerariam dicat vel rei, de qua agitur, minus accommodatam. Nam primariam *Macrobiorum* gentis dotem, *Unanimitatem*, blandissimam illam vitae longioris, adde etiam, beatioris conciliatricem, praetermittere non potuit carminis huius auctor, nec, sat scio, praetermisit.

Apoll. Rhod. ff. 716.
*ζτῶμοβαν, ἵ μιν ἀργῆται
ἀλητοῖσιν ἰσαιτεν διορθούντι νοοτο.*
II. 1149. *διορθούντι νοοτο.*

L. G. HUSCHKE.



OGG

OGG

rem tam plenius in rhetorics suis; ut infra
 monebitur. Erat autem hoc non omittendum,
 quod in libro de fortitudine considereret. Eodem vero etiam libro
 de temperantia, deque adversantibus et de viris fortibus:
 de temperantia, deque cupiditatibus homi-
 num disserit. In libro de liberalibus et sordidis;
 de magnificis et paucis, deque adversantibus; de excelsi atque etiam
 de deiecti prosternendis, deque viris: de recte constituendis
 honorum gloriaequi, deque iracundiae: de moderanda ira, fraenis-
 que iracundiae in mortalibus: de ratione conversandi cum
 mortalibus non alienante: de veracibus, de
 mendacibus, simulatoribus et id genus
 hominibus: de modo servando, eoque hu-
 manitati congruo: denique disperguntibusque docet. Quintus ve-
 stimentorum omnium regina iu-
 sticia totus aureus, ceterorum medulla quaedam est.
 Ut autem reliquorum argumenta videnti vix possunt:
 ita hic sibi argumentum ipse est. Non enim nihil, praeter-
 quam, quod dixi, dicere audeo. In libro de libidinis, quae
 a nullis in vita versantibus ignorantia, disputatur:
 de recta ratione, de arte, de prudenter-
 tientia, de consilio, de intelligentia, de nonnullis
 deinde, redintegrato quasi principio, heroica
 agitur, de continentia atque incontinentia, summa

